



Coligny, Gustav Adolf, Wallenstein

Bolte, Johannes

Leipzig, 1933

Theodorus Rhodius, Colignius, tragoedia (1614)

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69844](#)

THEODORI RHODII
COLIGNIVS,
TRAGOEDIA.


In qua

CASPARIS COLIGNII,
MAGNI ILLIUS GALLIARUM
THALASSIARCHÆ CÆDES
strictim repræsentatur.



IN NOBILI OPPENHEIMIO
Ex Officina Typographica HIERONYMI GALLERI,

M D C X I V.



[3] Illustrissimo Potentissimoque Principi F r i d e r i c o V.
Comiti Palatino Rheni, S. R. Imp. Archidapifero et Electori,
Duci Bavariae, etc.

Saepe mirari soleo, Illustrissime Princeps, neminem in Poëtis Gallis esse repertum, qui stragi, annos abhinc amplius quadraginta Lutetiae Parisiorum editae, cothurnum aptaret. Nam sive rei ipsius gravitatem spectemus sive argumenti ubertatem, historia est dignissima, in qua ingenii nervos intendamus. Quid? an periculo deterritos dicemus? Atqui nihil periculi est dicere, quod Historicorum clamant libri. Et ipse Rex C a r o l u s IX. postquam sero animadvertis pacis et publicae quietis vinculum nulla necessitate, sed privatis quorundam odiis et ambitione solutum regnumque suum bellis civilibus funestum et Parisiensi praecipue laniana infame esse, [4] consultoribus ita succensuit¹⁾, ut eos matremque adeo ipsam, feminam imperii supra sexum avidam cogitaret ab omni publica rerum administratione submovere. Et merito quidem: cum nemini, qui nefarium istud facinus adiuvit, fuerit impune. Nam Regem nocturni horrores ad mortem usque inquietarunt; Guisius in eo ipso conclavi, ubi de insidiis Colignio aliisque Galliae Proceribus struendis deliberatum fuerat, iussu Henrici III. trucidatus est; et postea Henricus ipse a Monacho detestanda audacia imperfectus. Nec meliori fortuna ceteri fuere. Ut tamen omittamus ista, Poëtas excitare potuit Henrici IV. Regis maximi et Catharinae Reginae candor et integritas, qui scelus hoc nunquam approbarunt. Ideoque ille pacem Galliae suae concessit; haec civium salutem tanto studiosius quaerit, quanto prior Catharina ad perniciem eorum-

1) Am Rande: August. Jac. Thuan. hist. lib. 57.

dem fuit propensior. Sed fuerit sane Gallis sua causa, quam obrem se a scribendo sustinerent atque etiam nunc sustineant.

Ego interim homo Germanus praecipuam tam memorabilis historiae partem filo tragicō mihi sumpsi tractandam, non magnopere sollicitus de iis, qui multa hic vel reprehensuri essent vel desideraturi. Evidem, ut Comicus ait, palma in medio posita est omnibus, qui artem tractant Musicam. Si quis est, qui me [5] lius hoc argumentum se tractare posse confidat, animo et lingua favere sum paratus. Ego ut verum fatear, iam diu est, cum telam hanc sum exorsus; quominus pertexerem, alia atque alia me impedierunt. Quin omnino deposueram et tamen, nescio quo oestro percitus, iterum in munus sumpsi nec destiti ante, quam absolverem.

Eam Tragoediam, Illustrissime Princeps, sub Tuae Celsitatis tutela in lucem dare visum est. Audivi enim ex multis, Te in hoc fastigio humaniores litteras nequaquam fastidire. Quidni? Probe intellegis haec studia Principibus non modo nihil detrahere de dignitate sua, sed laudi insuper et ornamento esse. Certe iisdem ab ineunte aetate cum domi, tum alibi locorum es operatus. Inde in Galliam profectus et mores istius gentis et linguam aliaque cognovisti, quae Virum Principem instruere possunt et commendare. Et nunc ex Anglia Te cum optatissima Coniuge tua, Serenissimi Britanniarum Regis filia unica, reducem omnes gaudent ac magnum Patriae Principem spondent et gratulantur. In illis ego et huius affectus cultusque in Te mei testem esse cupio hanc Tragoediam. Nec, ut spero, ingratum munus erit, vel eo saltem nomine, quod Guilelmus Princeps Aurasinus, Avus tuus maternus, Loisam Colignii, totius Galliae, dum vixit, phoenicis filiam, postremo [6] in matrimonio habuit, ut hoc, quidquid est, iure tibi deberi videatur. Accipe igitur, Princeps Illustrissime, advenientem Colignum meum sive potius tuum, optantem, ut supremus ille Princeps

Gentis humanae Pater atque Custos
Te tuis, bonis litteris, nobis quam diutissime salvum florentemque conservet.

Asselhemii in Vangionibus Anno gratiae MDCXIV.

Tuae Celsitudini devotissimus

Theodorus Rhodius.

[7]

Ad Lectorem.

Moribus hodie obtinuit, mi Lector, ut talibus scriptionibus plures offendas quam oblectes. Ideoque in hac Tragoediae ita temperavi, ut nemo bonus se a me laesum merito possit conqueri. Nec puto esse, qui tam immane facinus probent, praeter adulatores quosdam et larvarum plenos homines, non tam paci quam pietati infestos. Quos nihil moror et susque deque habeo, quid in me dicant, quid non dicant. Viros bonos autem et litteratos oro, ignoscant mihi, quod tam parce haec praebuerim. Poteram sane longiorem facere fabulam. Sed quid eo opus? Quotus quisque est, qui haec talia legat aestimetque? Nimirum dia poësis ab hominibus trivialibus et barbaris prostituta inibi est, ut eat exsulatum. Eat autem? immo ivit. Quare si placeo, brevitas mea tibi non erit molesta; sin displiceo, fabula vel sic nimis longa videbitur. Quid multa? scis, Lector, ut in sermone et epistulis sic in fabulis saepe amari brevitatem. Vale.

[8] In Colignum Theodori Rhodii Poëtae Laureati.

In urbe quondam septicolli, sontica
Diri Antichristi regia,
Orator ausus gratulari vanus est Muret. lib. 1. orat. 22.
De perduto Colignio;
Vel astra noctem plus per istam pristino
Luxisse more somnians;
Tumidumque lacto Sequanam spectaculo
Volvisse maiores aquas.
Id orbe iam nunc Teutonum liberrimo,
Causae Patronus optimae
Poëta sumis exsecrari certior,
Facinus perosus improbum:
Cometa tristis quale abominatus est
Inusitato schemate.
Nequedum lutoso Sequana eluit alveo,
Pingui cruentus sanguine.
Et quando noctem clade ea memorabilem
Oblitteretur ne scelus,
Fastis notandam singulari censuit
Tertullus idem calculo:
Recte severis noctis eius versibus
Tristes tenebras consecras:
Colignioque, Heroas inter maximo,
Tragico parentas carmine.

25 Sic ille saeclis noscitabitur omnibus
 Nec ipse nosceris minus,
 Ambo perennem mutuantes gloriam,
 Ambo legendi perpetim.

M. Cunradus Schoppius, Poëta Cor.
 Illustris Neuhusiani Rector.

Aliud.

Luminis in dias Rhodii Colignius auras
 Editur ingenii nobilioris opus:
 Digna deo Clario sacrisque tragoedia Musis
 Et doctis etiam saepe petita viris.
 5 Hanc utraque manu vos complexuque fovere
 Audete, o nostri germina Gymnasii!
 Credite, vix unquam doctis magis apta theatris
 Fabula, vel lectu dignior eosce potest.
 M. Paulus Wencelius, Scholae Heninganae Rector.

[10]

Personae tragoeiae.

Catharina, regina mater.
 Loisa.
 Colgnius.
 Thelignius.
 Carolus IX. rex.
 Guisius.
 Nuntius.
 Sicarius.
 Pietas.
 Chorus ex amicis Colignii.

[11]

Actus I.

Catharina, regina mater.

Quicunque fata observat et caeli vias
 Et astra certum credit imperium quoque
 Habere in homines, dum gravem terram colunt,
 Illustre de me capiat exemplum sibi,
 5 Quae fato et astris et polo facio fidem.
 Vix solveram uteri clausa materni moras,
 Vix lucis almae cooperam aspectu frui,
 Quidam perennes siderum cursus notans
 Ortusque nostros ore fatidico monet,

10 Si me iugalis accipiat olim torus,
Urbes beatas facibus arsuras meis.
Quo abominando nuntio attonitus pater
Abicere gnatam statuit infelix suam.
Quin et patrasset, absque cordatis foret,
15 Qui condolebant tam gravem sortem meam.
Avertere omen triste quo posset tamen,
Me puellari tradidit custodiae
Sperans futurum, ut nullus uxorem sibi
[12] Vir poscat unquam. Sed quis iniciat manum
20 Fatis severis? Cuncta perficiunt bene.
Nam me parente mortuo patruus meus
Spem praeter omnem Galliarum principi
Connubia iam tum nostra poscenti locat.
Is postquam opaca tecta nactus manium est
25 Terras relinquens, quique successit patri,
Franciscus alter occidit fato suo,
Vox principum in me sceptra transseribit lubens
Et imperare cum Navarraeo iubet.
Ast ego recusans imperi socium, mihi
30 Quem legeram ipsa, Carolo puero fere
Diadema trado et inclitum regni decus,
Per illum ut agere, quae volo, possim omnia.
Exinde plures mente versavi dolos
Nihilque omisi, quominus certissimo
35 Misera nataret Gallia in discrimine.
Scit Gallia ipsa Galliaeque principes,
Quorum cruento saepe restinxerunt sitim.
Nec conquiescam: pergam et inimicos premam.
Iuvat videre scilicet cadaverum
40 Strues et atro sanguine undantes vias,
Laxare frena mentis exsensae iuvat.
Et quando aperto Marte superare haud licet,
Operta fraus succedat et teneat locum
Praevisa semper tela nocuerunt minus.
45 [13] Age, iusta quamvis ira difficilis premi est,
Tamen prematur. Firma simuletur fides,
Dum perduelles eruantur stirpitus.

Sic, sic eundum est. Dum dolos nemo timet
 Fraudesque et astus et reconditas technas,
 50 Infandus Hymen plurimos mittet neci,
 Novo et marito dos erit fusus cruar.
 Et ecce iacta iam alea est. Colignius,
 Qui se patronum dogmati addixit novo,
 Globo petitus flammeo fractus iacet.
 55 Nec finis hic: morietur et pravum ducem
 Socii sequentur. Quantus, o quantus dolor
 Luctusque quantus impium coetum manet!
 Ferant necesse est, quod merentur perfidi.
 Quid namque memet esse reginam attinet,
 60 Nisi capessant imperata omnes mea?
 Intuta fuerint regibus moderamina,
 Ubi nulla populum vis coercet nec metus.
 Cur subitus imo sonuit e solo fragor
 Et nube Titan condit atrata diem?
 65 Quis taedam in ora vergit et pectus quatit?
 Agnosco Furiam. Nempe vitali iubet
 Luce viduari, qui obloquentes perperam
 Ritus vetustos cultibus mutant novis.
 Bene est, abunde est. En, tuos ultro sequor,
 70 Megaera, nutus. Namque cur sacrum mihi
 [14] Nomen *zatáqa* est, id nisi factis probo?
 Nullum venenum exhalat aequa noxium
 Mephitis ulla. Quicquid attingo, simul
 Perimo simulque, quicquid intueor, neco.
 75 Migretis Orco tres sorores! Pro tribus
 Unam hanc recipiet Pluto. Quin aufers facem
 Cruentam ab ore? Fiat hoc, fiat scelus,
 Quod totus adeo mundus atque ipsa horreo.
 Pereant amici, dummodo inimici occidant.
 80 Ibo et requiram Guisium, fidum caput.
 Hoc, hoc ministro noster utetur dolus.

Chorus.

Strophe.

Iam nube depulsa
 Iubar auricomum

Sol exserit laetus
 85 Nitidusque dies
 Aethere rursus fulget amoeno.
 Iam Martis creperi rabies
 Desaeviit et furor impotens.
 Ast amica pax
 90 Alis candidulis volitans
 Sese repertam dat
 Et in urbe locum
 Occupare gaudet.

[15] Antistrophe.

En, Gallia ad sese
 95 Redit et nimum
 Scit, quam prope a tristi ex-
 Itio abfuerit.
 Sic vehemens cum morbus adurget
 Corpus, deliquium patitur
 100 Cum corpore mens animi quoque.
 Sed recesserit
 Morbi vis, animus sapiens
 Se noverit magno
 Gravidoque malo ob-
 105 Noxium fuisse.

Epodos.

O nitida illa dies,
 Quae modum bello imposuit simulque
 Optata pacis munera restituit!
 Gaudia ni tanta haec mihi
 110 Obnubilare fama tentet,
 Quae refert Colignum,
 Illud patriae columen
 Praesidiumque meum, ab hominibus
 Pravis vulnera aliquot,
 115 Dum domum remeat suam,
 [16] Cunctantem accepisse.
 Ea ut sit conficta, precamur.

Actus II. Scena I.

Loisa. Chorus.

Loisa.

Candida amicūm turba bonorum,
Queis curis, quam vario assultu
120 Agimur? Moles quanta incumbit,
Ut vesani flatibus Euri
Agitata nimis cymba fatiscit?

Chorus.

Magni patris filia magna,
Num spes superest ulla salutis?
125 An desperii? Quid agit genitor?
Dic, vivitne et vescitur aura?
Namque insidiis circumventum
Totam differt fama per urbem.

Loisa.

Equidem vivit, sed fortuna
130 Pressus iniqua nos examinat.

Chorus.

Quando aerumnae socius veni,
Ora tueri gestio amici
Atque audire et reddere voces.

Loisa.

Minime vero feceris istud!

Chorus.

135 Quae res est? Non alloquar ergo?
Non complectar pectus carum?

Loisa.

Quin tu, ne illi forte quietem
[17] Rumpas, procul a lecto absiste!

Chorus.

Quid dixisti? Dormit? Placido
140 Declinavit lumina somno?

Loisa.

Haud diu fessum sopor oppressit.

Chorus.

O, qui madidis volitans alis
Curas aufers animis hominum,
Somne, istum etiam perde dolorem,
145 Quo conflictat praeter meritum
Vir, si quisquam est, fortis et aequus
Et pietatis sanctae assertor.

Loisa.

Parce age voci, parce!

Chorus.

At parco

Et syringis more modoque
150 Emitto sonum. Sed caput ecce
Aegrum motat somno excusso.

Loisa.

Perii, interii. Tu excussisti,
Excussisti misero somnum.

Chorus.

Non excussi. Viden', ut rursus
155 Se composuit veste involvens?

Loisa.

Longius illuc abscedamus!
Nam percupo trahere hanc tecum
Sermone horam, dummodo tristes
Somno laxet genitor curas.

Chorus.

160 Obtemperantes nos habes omnes tibi.
Nunc, unde coepit gliscere hoc, doceas, malum.

Loisa.

Medio micabat aureus Titan polo,
Cum regis arcem linquit infelix pater
[18] Comitatus inde Guerchio, hinc Prunellio

- 165 Paucisque amicis aliquot, ingenuis viris.
 Vix Villemuri flaminis sacram domum
 Versans tabellas praeterit lento gradu,
 Ternis repente petitur ecce glandibus,
 Quarum una digitum dexterae attrivit manus,
- 170 Laevum duae transverberarunt bracchium.
 At veluti cautes, quae stat in magno mari,
 Admittit undas nec movetur fluctibus
 Aut cedit usquam insanienti flamini,
 Sic vulnere istoc ille nil perterritus
- 175 Eo, quo solebat, ore designat suis
 Locum nefastum, unde evolavissent globi,
 Aliisque mandat, sese in arcem ut conferant
 Regique pabant omne, quocunque est, malum,
 Aliis, prehendant sceleris auctorem impium.
- 180 Verum is salutem repperit pedibus sibi
 Neque in domo illa praeter ancillam quidem
 Servumque prensus ullus est mortalium.
 Proinde amicis nixus ut rediit domum,
 Curare vulnus occipit medicum manus
- 185 Digitumque primum forfice abripuit, dein
 Partem sinistri bracchii incidit, globi
 Quam perforarant, non sine ingenti quidem
 Dolore, sed quem mente praesenti tamen
 Sustinuit ille. Nosque plorantes iubet
- [19] Tenere lacrimas; quin, ut agnoscas eum
 Vixisse praeter ceteros fortem virum,
 Habet supremo gratias magnas deo
 Agique sic vel optime secum putat.

Chorus.

Mira indicas pectusque percellis meum.
 195 Sed cuius istas esse crediderim technas?

Loisa.

Guisiadae, opinor. Namque Villemurus hic
 Illi magister additus quondam fuit.

Chorus.

Recto videris nil aberrare a scopo.
Nec mihi nisi unus Guisius suspectus est.

Loisa.

²⁰⁰ Ut qui parenti semper inimicus fuit.

Chorus.

Eum remisit quippiam saevus dolor?

Loisa.

Vero remisit atque melius nunc habet.

Chorus.

O nos beatos, si malo defungitur.
Accede, quaeso, et quo loco res sit, vide!

Actus II. Scena II.

Colignius. Loisa. Chorus.**Colignius.**

²⁰⁵ Magni laboris dulce lenimen sopor,
Quam gratus accessisti ad oppressum virum,
Qui nunc recedens linquis aegrorem mihi!

Loisa.

Et dulce nobis atque iucundum fuit,
Genitor, videre te quiescentem a malis.

Colignius.

²¹⁰ O nata, ubinam es? Propius accede ad patrem!

Loisa.

Accedo. Si quid me voles, tantum impera!

Colignius.

Attolle tardum vulnere atque aevo virum!

Loisa.

At sola nequeo sustinere istuc onus.

[20]

Colignius.

Nemon' deinde amicus hic adstat prope?

Loisa.

215 Et isti iniquos condolent casus tuos.

Colignius.

Adeste, amici, ne fugite nostrum malum,
Sed adiuvate, impendite officium mihi
Praetriste, gratum sed laboranti tamen!

Chorus.

Non fugimus equidem, quae iubes, propere exsequi.

Colignius.

220 Sic sustinete, sustinete aegrum latus!

Chorus.

Manum admoventes sustinemus sedulo.

Loisa.

Leniter, amabo, ne recrudescat dolor!

Chorus.

Quin tu alia curas? Memini ego munus meum.

Loisa.

Praestare quid nunc amplius, genitor, queam?

Colignius.

225 Mihi advocate hue ocios Thelignum!

Loisa.

Non est domi ille, sed foras gressum tulit.

Colignius.

Cuius rei igitur gratia iam nunc abest?

Loisa.

Sese hinc in aulam contulit iussu tuo.

Chorus.

Nisi fallor, ipse regiam linquens adest
230 Et properat aliquid nuntiaturus novi.

Actus II. Scena III.

Thelignius. Colignius.

Thelignius.

Non prorsus ista res mihi cessit male.
 Nec, quae voluptas maxima est, ante hunc diem
 Commodius unquam sensimus regem loqui.
 Se facere dixit, quicquid optaret sacer,
 235 Sive ille pater est. Quidni enim patrem vocem,
 Hoc qui paterno amore prosequitur caput?

Colignius.

Nostrae marite filiae, dic, quid rei est!
 [21] Quam spem reportas, obsecro, aut fassis opem?

Thelignius.

Ipsum favere nuntio regem tibi.

Colignius.

240 Modo simulatus ne favor sit hic, vide.

Thelignius.

Simulatus animus in bonum regem haud cadit.

Colignius.

Nihil quidem ipso a rege metuendum puto.
 Verum satis superque cognovi dolos
 Hominum improborum. Mille sunt aulae strophae
 245 Plagaeque, quas cavere nemo sat potest.
 Inimicum apertum facile prosternas licet,
 Non nisi timendo conditos vincas dolos
 Caecasque fraudes. Saepe doctis vocibus
 Blandoque vultu tegere se suevit malum.
 250 Sensi, ipse sensi non ferendam audaciam.
 Iactata nostra vita mille est casibus
 Periculisque, dum obsoletus Iupiter
 Hinc e Quiritum montibus septem tonat.
 Inde insolentis purpurae ferocia
 255 Bacchatur in nos et modum nullum facit.
 Deicere num me de meo potuit statu
 Vel hic vel illa? Num tot extimui minas?

Non, non. Paventem nulla me vidit dies.
 Nunquam arma fugi hostemve trepidavi meum,
 260 Si conserenda comminus fuerat manus.
 Magnanimus usque perstitti, tamen tamen
 Inventus ille est, cuius horrerem technas.
 Nempe hoc laboris praemium capio pii,
 [22] Quem pro salute regis et quem pro deo
 265 Deique cultu pectore invicto tuli.
 Sed nil, quod alta mente non paeceperim,
 Evenit. Omnes namque lex eadem tenet,
 In orbe quotquot hoc vagamur, nos malis
 Obnoxiosos ut sciamus plurimis.
 270 Quo magis oportet in viatoris modum
 Sese tuentis sedulo gelu et nives
 Pluviasque contra et turbidas venti minas,
 Cladem pericli amoliamur, si potest.
 Sin aliter, aequis perferamus mentibus
 275 Et de futura cogitemus patria,
 Ubi nec laboris anxii ullum taedium
 Erit nec ullus luctus aut mortis tremor,
 Sed gaudia atque dulcis usus dulcium
 Amoenitatum, nemo quas novit prius.
 280 Illuc per oras aetheris scindens viam
 Migrare gestit animus actutum meus
 Et regna late supera lustrare et deum
 Canere atque merita, quae sua mortalibus
 Nece Christus ipse fixus in rigidæ crucis
 285 Livente furca peperit immeritus mori.

Thelignius.

Et haec, sacer magnanime, dixisti bene
 Et, sive lenis aura Fortunae favet
 Seu fulminantis ingruit sortis Notus,
 Tui usque similis cedere ignoras loco.
 [23] Sed certus esto, impune nunquam fecerit,
 In te scelestas quisquis armavit manus.
 Nam mihi supremum rex deum testem invocans
 Hoc se recepit facinus ulturum probe. —

En, ipse magna principum cinctus manu
 295 Inedit. Ubi vis, noscere omnem rem potes.

Actus II. Scena IV.

Carolus rex. Colignius.

Carolus.

Adsum rogatu, clare Coligni, tuo,
 Ut, facere quid nos deceat, ex te ipso sciām.

Colignius.

Nosco favorem, magne rex, atque, ut mea
 Verba haud iniqua mente percipias, precor.

300 Ego postquam honores cum deo (nam quis neget?)

In Gallia sum consecutus maximos,

Praestare firmam regibus didici fidem.

Nam quo tueri floridum regni statum

Studio allaborem, principes nostri sciunt

305 Et populus omnis adeo et omne istuc solum.

Quin ipse nosti, quae pericla exhauserim,

Auctoritatis gnavus assertor tuae.

Tamen reperti pessimi iam sunt viri,

Qui me immerentem criminarentur tibi.

310 Quis ne fidem habeas, te monendum existimo.

Haec optimorum condicio semper fuit,

Ut fraude operata et noxiis calumniis

Premerentur. Odio, si quis in regem est pius,

[24] Habetur. Illum, qui minus timide monet,

315 Protervum amici pariter atque hostes vocant.

Regi salubre nemo consilium dare

Tuto audet. Ego, qui promptus ac fidus tibi

Fui minister, tale nunc pretium fero.

Quod te per istam dexteram obtestor tuam,

320 Ut hoc iniquo et turbido rerum statu

Tueare apertos atque sedatos viros,

At factiosos, dicta qui temnunt tua

Et sacrosanctam per scelus fallunt fidem,

Quis ipsa pietas atque religio est iocus,

325 Qui sibi licere facere iam quidvis putant

Bolte, Coligny, Gustav Adolf, Wallenstein.

Et nisi rapinas, stupra et innocentium
 Oppressionem civium et caedem et nefas
 Nil moliuntur, serio coerceas.
 An credis, ubi nil iura, nil leges valent,
 330 Regnare posse te aut satis tutum fore?
 Ne crede! Nam quos stimulat insanus furor,
 Caedes per alias ad tuam facient gradum.
 De me nihil labore. Nam causam meam,
 Seu longiori lucis usura fruar,
 335 Seu nigra Clotho ruperit stamen mihi
 Vitale, summus omnium rerum arbiter
 Diiudicabit. Interim quam turpe sit
 Impune fieri talia in regno tuo,
 Si moneat illud nemo, per te ipsum vides.

[25]

Carolus.

340 Haec omnia esse vera, quae memoras, reor,
 Cum te fidelem semper ac fortem ducem
 Meique amantem patriaeque agnoverim.
 Quodsi alias esset nunc animus in te meus,
 Non illa facerem, quae quidem facio tibi.
 345 Sed ne sit ullus improbus, turpis, ferox,
 Edicta violans regia et leges bonas,
 Optare possum; ut improbus, turpis, ferox
 Sit probus, honestus, mitis ac leges colat,
 Non facere possum. Comprimendi illos quidem,
 350 At hos iuvandi quaeritur nobis via.
 Atque adeo ut ipse, quid tua causa velim,
 Videas, per omnes imperi fines mei
 Huc mittam et illuc, iura qui et pacem ferant.
 Quin per supremum lucidi regem poli,
 355 Qui cuncta, quae nos agimus auditque et videt,
 Per sacra Christi vulnera et diram necem,
 Quam oppetiit insons, per beatos aetheris
 Cives, per istud aureum solis iubar,
 Per sceptra gravia et per meum iuro caput:
 360 Non feret inultum, quisquis audaci manu
 Nefariaque vulnus inflixit tibi.

Agite, latronem perfidum, quantum potest,
 Acquirite atque hic sistite inventum mihi!
 Nec ullus unquam viribus tantis homo
 365 Exsistat, illum recipere ut tecto audeat.
 [26] Quodsi profugit sceleris auctor horridi,
 Illi sit unda pariter ac tellus gravis
 Suisque dignum praemium factis ferat.

Colignius.

Non longe ego istunc eruendum censeo.

Carolus.

370 Ubicunque sit, latere non poterit diu.
 Servum tenemus saxeо inclusum specu,
 Negotii huius, ut putatur, conscientum;
 Cui, ni fatetur, exprimet verum dolor.
 Sed tu, quod ex re venit in mentem mihi,
 375 Non hoc videris esse sat tuto loco.
 Transferri in arcem commode nostram potes.

Colignius.

Et utile istud et nimis gratum foret,
 Si nos moveri vulnerum sineret dolor.

Carolus.

Atqui timendum quid sit a populo, vides.

Colignius.

380 Ad comprimendam plebis insolentiam
 Satelles unus fuerit atque alter satis.

Carolus.

Ea caveres, quam tibi ostendi, via.
 Sin melius aliquod ipse consilium tenes,
 Deliberabis, quid tuam in rem sit. Vale!

Chorus.**Strophe.**

385 Viris nocere optimis
 Qui solet atque nefastam
 Promovere turbam,

[27] Male agit certe rem
 Apud homines
 390 Non modo, sed apud
 Superum quoque regem,
 Nec posteritas hunc
 Veniens amabit.

Antistrophe.

Quis ille tam atrox homo,
 395 Qui manibus seeleratis
 Optimum virorum
 Adoriri est ausus?
 Utinam, utinam
 Ille celeriter
 400 Meritas mihi poenas
 Det! Verum aliis res
 Erit ista curae.

Actus III. Scena I.

Catharina regina mater. Carolus rex.

Catharina.

Tu lenitate noxiū coetum tua
 Fovere non cessabis, in casses nisi
 405 Tete incidisse senseris sero nimis.
 [28] Quid moliantur, quas tibi insidias struant
 Homines nefasti, caecus adeo non vides?
 Quin blandientem proicis socordiam
 Et adiuvare Galliam afflictam studies?
 410 Iamque adiuvandi commodum tempus datur,
 Dum vulnere atro fligitur Colignius.
 Non esse poterit prospero regnum in statu,
 Nisi male istud tollis e medio caput.
 Immo ille nobis pereat et quisquis comes
 415 Viro est scelesto; regium imperium pati
 Aliquando discant cum suo ingenti malo.

Carolus.

Opprimere, mater, quod iubes, dudum paro,
 Verum supremo dignitatis in gradu

Sunt constituti, ut facile detrudi haud queant.
 420 Eos amore populus et metu colit.
 Iam si patescat forte consilium meum,
 O quae pericla, quantus incumbit labor !
 Ad arma res deveniet ac bello novo
 Solum flagrabit; tela, caedes, funera
 425 Cives timebunt atque palantes fugam
 Facient per agros, patria in sese ruet
 Fietque, si quod maius est istis, malum.

Catharina.

Nihil novi est ardere bello Galliam
 Hominibus istis, sed quod adscribas licet,
 430 Qui comparare sese ita haudquaquam volunt,
 Praecepta fortis ut capessant regia.
 [29] Non tamen ut ipsis inferas bellum volo
 Apertum; ut omne clanculum moveas, volo.

Carolus.

Quis clam peragere hanc posse rem sese putet ?

Catharina.

435 Bonos ministros sumito ac fidos tibi !

Carolus.

Persaepe fallunt, quos tibi fidos putas.

Catharina.

Suspecta tibi sit omnium fides, cave.

Carolus.

Quibus fidem habeat, prospicere regem decet.

Catharina.

Sat Guisiana cognita est nobis fides.
 440 Guisius is ille est, perfica cuius manu
 Res transigetur. Aderit Andinus simul
 Aliique, regem qui suum vere colunt.

Carolus.

Ut ista possint, quae cupis, fieri omnia,
 Timere populum nostra condicio iubet.

Catharina.

445 Condicio regis misera; si populum timet.

Carolus.

Quid concitatus non facit populi furor?

Catharinus.

A rege populi quando dependet salus,
Odit nocentes, quisquis in regem est bonus.

Carolus.

Si nil timendus mobilis vulgi est furor,
450 At Teutonorum pertimesce principes!

Catharina.

His adice Anglos! Facile demersos dabo.

Carolus.

Germana quid vis valeat, expertus scio.

Catharina.

Quin leniendi commoda hos ipsos via est,
Poenas dedisse perfidos dicas viros
455 Ausos parare in regium insidias caput.

Carolus.

Equidem timere me meo regno decet.
Sed quando vobis hoc sat acceptum est, tuum
[30] Erit periculum, si quid acciderit secus.

Catharina.

Abscessit ille. Parta iam, parta ultio est.
460 Meritas scelesti iam mihi poenas dabunt.
Quid dixi inepta? Scilicet lentum est, dabunt.
Dedere. Faxo, si meas novi manus,
Vel iniqua cupiant imperia regum pati. —
Sed quem volebam, Guisius carum caput
465 In tempore ipso graditur huc celerem gradum.

Actus III. Scena II.

Guisius. Catharina.

Guisius.

Regina, gentis lucidum sidus tuae,
Quid volvis animo? Quam paras fraudem novam?
Effare! Si mens vera praesagit mihi,
Nil prorsus istac indole indignum struis.

Catharina.

470 Quae cura, censes, pectus exagitat meum?
Matura toties falce decubuit seges
Totiesque canas bruma deposita nives,
Cum perduelles publicum turbant statum.
Reprimere quos non, ut laborem maxime,
475 Nisi nuptiarum et pacis obtentu licet.
Simulare quisquis imperi causa timet,
Regnare nescit. Mentem apertam simplices
Laudent, opertam callidi contra gerant.
Alto quiescunt nunc veterno adobruti;
480 At ipsa, ni me dextra frustratur mea,
Commovero illos. Ut bonum serves virum
[31] Dolo atque fraude incessere addubites malum?
Tu, cuius alto nixa virtus pectore
Diros in hostes ire fiderter monet,
485 Magnanime Guisi, dicta collaudas mea?
Ecquid videtur? An pari affectu cales?
Anne aliquid audes gerere praeclarum tua
Virtute dignum et Guisiorum nomine?
Age, si movere te nihil virtus potest,
490 Me respice atque hinc disce, quid deceat virum!

Guisius.

Quid constitutum fuerit inter nos semel,
Non sum monendus; ipse de proprio quidem
Omnisque nimium longa properanti est mora.
Quin testor istud inclitum caput tuum
495 Et vos, parentis optimi manes mei,
Dum quaero cunctas explicare copias,
Nox nulla, nulla me videt segnem dies.

Hinc sacra fauces aridas sitis premit,
 Sedare quam vitigenus haud possit latex.

500 Baccheia dona Maenades poscant sibi
 Et, ebriosus Liberum quisquis colit:
 Humanus ora nostra delectat crux,
 Ut ille dira pressus esurie lupus
 Attollere animos gaudet ac ferri in gregem.

505 Vident ruentem pastor et fidi canes
 Et progredi ultra viribus totis vetant;
 Ast hunc et illos arte cum fefellerit,

[32] Tunc ergo, tunc miscella balantum agmina
 Invadit atque dente discerpit truci:

510 Sic gliscit ira et mente non sana feror
 Exaestuoque perdere inimicos meos.
 Testatur istud, qui dolo nostro iacet,
 Dux improborum scilicet Colignius.
 Tetigi bene hominem et gloriari gestio,

515 An ille toties familiae dederit meae
 Impune damnum, mortene is sicca occubet,
 Cui tantum iniqua sanguinis fusum est manu?
 Tum me vel aetas omnis ignavum vocet,
 Quin arceatur nomen hoc a me procul.

520 Stringatur ensis, caede maculentur domus,
 Ne dextra cesseret, donec omnes occidant.
 En, animus optat facinus egregium exsequi.
 Sic involabo, sic in hostes me feram,
 Sic victor ibo, sic triumphabo malos.

525 Cur, domina, cessas? Ede, quid fieri velis!

Catharina.

Orationem hauc mente suspensa haurio
 Et gaudeo proboque virtutem tuam.
 Nunc quando Phoebus semper optatum tibi
 Advehere voluit aureo curru diem,
 530 Quo demereri patriam possis tuam,
 Ne parce dextrae, perduelles confice!
 Sic te loquentur litterae et nomen tuum
 Seri nepotes laude perpetua ferent.

[33]

Guisius.

Coligniusne suspicatur quid mali ?

Catharina.

535 Nil suspicatur; nam fidem pacis dedi.

Guisius.

Sed nec scelesto qui viro comites eunt ?

Catharina.

Secura res est. Tu tibi ut constes, vide !

Guisius.

Quo dira tandem capita mactamus modo ?

Catharina.

De nocte media convocari militem

540 Volo, qui in aedes irruat Colignii

Ipsumque dominum perdat et turbam male.

Dein per urbem contrrucidet ceteros,

Cum gratus omnes mulcet in stratis sopor.

Vade igitur atque perage mandatum meum !

545 Ego, priusquam nocte discussa rubens

Aurora caeli pandat et lucis fores,

Ex arce clarum militi signum dabo.

Chorus.

Video lacrimas, video luctum.

Nam velut antris vapor Aetnaeis

550 Rapido volvit saxa rotatu,

Irruere in nos impete caeco

Nimium gestit turba profana.

Quaeque abdiderat pectoris imo,

Tandem vultu prodit aperto.

555 Heu, quem finem res habitura est ?

Equidem me spes magna tenebat,

Fore uti meditans pacis studia

[34] Agerem festa laetus in umbra.

Frustra, ut video. Pietas periit,

560 Periit virtus periitque fides.

Ast impietas fraudusque

Et vitiorum seges accrescit.
 O Colignî vis sacrata,
 In quem vires exserit omnes
 565 Furor accensus, quam tibi metuo !
 Cum regina, Guisius audax
 Aulaque pergunt nectere fraudes,
 Mussant alii, rex dissimulat,
 Dum pessumdet corda supina.
 570 Sed quid amicos, ut sibi caveant,
 Cesso monere ?
 Inimicis qui credere metuit,
 Sapiens ille et tutus fuerit.
 Sed qui inimico credit aperto,
 575 Irretitus sero sapiet.

Actus IV. Scena I.

Thelignius. Loisa.**Thelignius.**

Quid me querelis, uxor, exanimas tuis
 Metumque nimium lacrimis manantibus
 Et ore maesto prodis ? Abscedat metus
 [35] Lacrimaeque et omne, quod cor exercet tuum.
 Non semper imbres atque tempestas ruens
 Contristat agros nec freto incumbunt Noti;
 Post nubila atra clarior Phoebus redit.
 Habere melius iam vides patrem tuum.
 Quae causa fletus ? Quisve te casus novus
 585 Turbare potuit ? Tristia et luctus graves
 Metumque nostris linque perduellibus !
 Miserum necesse est esse, qui semper timet.
 Tu laeta venias atque fortunam tuam
 Memento ferre ! Cuncta perficiet deus.

Loisa.

590 Utinam liceret pellere ex animo procul
 Curas edaces, quique grassatur, metum !
 Verum timere multa me miseram decet.
 Non esse tutum hic posse genitorem diu

Res ipsa loquitur. Miles armatus volat
 595 Totam per urbem et igne collucent viae,
 Tum perduelles altius tollunt minas
 Et plebs tumultuatur atque arma expedit.
 Quo fremitus iste verget aut quidnam dabit?

Thelignius.

Nil est pericli. Nam satellitum manus
 600 Defendit hostem, locus ab insidiis vacat.
 Et omnia ista, quae tibi iniciunt metum,
 Aiunt parari ludicro certamini.

Loisa.

Ne ludierum istud serium fiat, cave!

Thelignius.

Non fiet equidem, si satis regem meum
 [36] Novisse dico.

Loisa.

Credulum semper genus
 Nos esse constat. Mihi facit pietas tua
 Regem timendum. Spes facessat credula.
 Gravis ira regum est. Provoces illos semel,
 Non facile flectas, vel pius fueris licet.
 610 Ut femina ego sim, providendum deputo.
 Atqui mulieres dixeris nunquam boni
 Et profuturi consilii micam dare.
 Esto. Sed ipsa si metum nostrum probat
 Res atque amici, quid diu nectis moras?
 615 Quin e periculo nosque patremque eripis?
 Relinquere urbem cupio, dum salvae licet.

Thelignius.

O socia thalami, me quidem voces tuae
 Sodaliumque monita sollicitum tenent,
 Sed dicta regis me magis nostri tenent,
 620 Cui nolle quicquam credere est iniurium.
 Nec crimen istud in bonum regem cadit,
 Ut fallat ore duplici sacram fidem.
 Certum est manere nec domo efferre hinc pedem.

Et ipse genitor hoc probat mecum simul.
 625 Proin timoris, blanda coniunx, desine
 Summumque precibus rite votivis deum
 Venerare, ut omen vertat in hostes malum
 Nosque ipse praesens dextera servet sua!

Loisa.

Reprendere istud nolo consilium, tamen
 630 Metuo, marite, metuo.

Thelignius.

Di fallant metum!

[37] Nunc acta medium quando nox orbem subit,
 Eamus, ut nos recreet dulcis sopor.

Actus IV. Scena II.

Guisius.

Invertit aptum tacita nox stellis polum
 Placidumque carpunt fessa somnum corpora,
 635 Sed non et artus illigat somnus meos.
 Libet excubare et impeditam cassibus
 Contra obtueri lumine inimico feram.
 Haec illa nox est, omnibus votis diu
 Mihi expetita. Venit in nostras manus
 640 Hostis superbus, venit, ac totus quidem.
 Subsulto, et atra funera et caedem efferam
 Mens agitat intus nec suo sese statu
 Tenet. Latronis virulentum sanguinem
 Haurire dextra properat et ferro luem
 645 Eruere tantam ab infimis radicibus.
 Adeste, socii! Facinus audendum est novum.
 Moramur? Atqui viribus totis decet
 Nunc ire in hostes et timorem ponere.
 Nec opprimendus unus est Colignius;
 650 Intereat omnis, qui sequitur ipsum ducem.
 Terrere quos non bella potuerunt neque
 Tot arma et enses telaque et tristes minae,
 Invicta quid fraud possit, experti scient.
 Removete crimen! Causa certe est optima.

[38] Et rex et ipsa regis hoc genitrix iubet. —
 Quis subitus aures verberat nostras sonor ?
 Ferale signum agnosco. Tandem pergit,
 Irruite in aedes ! Galliam oppressam tegunt
 Iam nunc tenebrae : liberam cernat dies !

Chorus.

Strophe.

- 660 Actum est, prorsus nihil
 Spei superat bonis.
 In urbe rabida cohors
 Volitat, hilaribus se in-
 Vicem excitans vocibus.
 665 Immo Colignii
 Iam domum occupavit
 Diro Guisio duce.
 Quid, ah, quid fiet ?
 Quod malum premet nos ?

Antistrophe.

- 670 O, qui tempa aetheris
 Suprema habitas, deus
 Videsne, genus hominum ut
 Colubrigerula virgo
 Agat virosque optimos
 675 Perdere usque expetat ?
 [39] O veta tibique,
 Rector caelitum bone,
 Gregem dilectum
 Perge dehinc tueri !

Actus V. Scena I.

Nuntius. Chorus. Thelignius.

Nuntius.

- 680 Quis lacrimarum sufficiet imbrem mihi,
 Deflere digne nostra quo possim mala ?
 O facinus atrox !

Chorus.

Ede, quid portas novi ?

Nuntius.

Ubi reperiam, cogito, Thelignum.
Illi negotium omne narrari expedit.

Chorus.

685 Ipse huc anhelus properat, atrum nuntium,
Uti videtur, et novum metuens malum.

Thelignius.

Quid est, amici? Quid tumultus vult sibi?
Agite, indicate! Vultus haudquaquam placet.

Nuntius.

Res intus agitur prorsus ex voto hostium.
690 Stricto ense miles huc et huc saevus ruit,
Luctu atque caede tota miscetur domus.
Quin Phoebus etiam Galliae nostrae occidit
Lucemque nobis, quam prius dederat, negat.
Socer tibi, inquam, periit et nobis parens.
695 Atque in miseriis amicum solacium
[40] Hoc est, quod animo pertulit magno necem.
Nam cum videret certam ad hanc sterni viam,
Deoque seque concipit dignas preces
Et convocatis omnibus dempto metu:
700 'Ego poscor', inquit. 'Venio nec dubito mori,
Habere quando non licet regi fidem
Virisque magnis. Scilicet beatior
Et tuta magis est vita in exiguo lare
Quam quae potentum limina atque aulas amat
705 Rerumque habenas tractat atque publicam
Curat salutem civiumque commoda.
Ut fastuosae purpurae splendens favor
Me in alta vexit, qualia heu vidi mala
Curasque quantas! Nec malis cessi tamen
710 Curisve pressus munus abieci meum,
Integra sed mens et fides mansit mihi.
Nec fractus orbis si ruat priscum in chaos,
Timere nostrum est. Sera posteritas sciет,
Inter procellas patriae et fluctus vagos

- 715 Stetisse memet fortem et ingenuum virum.
 Nunc finis instat, et meam hanc animam deo,
 Unde est profecta, reddo poscenti lubens.
 At vos, amici, queis adhuc aetas viget,
 Eripite vosmet, dum licet, celeri fuga!
 720 Hoc fatus hostem intrepidus exspectat suum,
 Quin irruentem iamque ferientem nihil
 [41] Etiam extimescit, sed magis tollit minas
 Caditque ut hosti perfido terram gravem
 Facturus. Ater vulnere accepto crux
 725 Prorumpit, anima libera in caelum volat.

Thelignius.

- Nunc, summe caeli rector ac mundi parens,
 Exsurge et omni parte truculentum intona
 Ignesque torquens vindica tantum scelus!
 Dolo atque turpi fraude superatus iacet,
 730 Qui mente nixus semper excelsa stetit
 Adversus omnes casuum et sortis minas.
 O aula fallax! Haecine est regis fides?
 Haec gratia est? Sic odia deponit sua?
 Certe, nisi isto, ponere haud potuit modo.
 735 Sed me scelestum, qui malis potui viris
 Meque et salutem credere audacter meam,
 Ego interemi solus hunc, sed nesciens,
 Sed nescientem. Cana simplicitas mea
 Et ille apertus animus et recti tenax
 740 Nos perdit omnes. Credo nunc, uxor, tibi
 Vobisque, amici, credo, sed sero nimis.
 Vos, vos adeste, quotquot audacem manum
 Adimbuistis sanguine ingentis viri,
 Adeste et arte generum eadem tollite!
 745 Auditis? Evidem praestat optato semel
 Perire leto quam malis semper premi.

Chorus.

- Quid imprecari quamque habes, mortem petis?
 [42] Omitte mortem potius ac vitam tene!
 Malorum abunde est. Profuge et obtectus late!

Thelignius.

750 Egon' ut profugiam? Profugio, sacerum sequor,
 Quippe hoc perempto cuncta perierunt mihi.
 Sed vita superest. Hanc quoque omittam libens
 Mihiq[ue] votum maximum fuerit mori.

Nuntius.

Abiit dolore percitus. Te nunc tibi
 755 Prospicere fas est. Nam nisi errant lumina,
 Huc machinator fraudis ac scelerum artifex
 Effert citatum Guisius tecto pedem.

Actus V. Scena II.

Guisius. Sicarius. Chorus.

Guisius.

Bene habet, peractum est: non modo poenas dedit
 Hostis, sed etiam quisquis erat illi comes.
 760 Sic, cum leones forte vestigant feram
 Promiscuive vulgus armenti petunt,
 Modum statuere caecus ignorat furor.
 Magnum est, quod Orco misimus turbam improbam,
 Maius, videre posse nos ipsum ducem
 765 Sic interemptum. Nunc cadaver deice,
 Quicunque tecti parte suprema immines!
 Quid? Nemon' audit? Te voco, Behmi. Deis
 Iam nunc litasti commodum infernalibus,
 Coligniusque dexteram sensit tuam?

Sicarius.

770 Liquido putasti; vulnere haud uno iacet.

Guisius.

Vel interemptus quo situs nunc in loco est?

[43]

Sicarius.

Famularis illum servat hic custodia.

Guisius.

De tecto age illum mitte praecipi via!

Sicarius.

Non dico causam, quo minus, quod vis, feras.

Guisius.

775 Quin perge! Res haec respuit longam moram.

Sicarius.

Nihil morabor.

Guisius.

Decidit pondus grave

Laetam nigranti sanguine aspergens humum.

Gaudete, cives; hostis interemptus est;

Ille hostis, inquam, qui sua regnum quoque

780 Spe devorarat, ille, qui nefario

Furore patriam et innocentis presserat,

Confossus ense, corpus exanimum iacet.

Hos apparari regiis thalamis decet

Ludos cruentos, nulla quos sileat dies.

785 Super astra magnum Graecia Alciden vehat,

Qui liberavit plurimis orbem feris;

Haec una vincit bestias omnes fera.

Non ergo poteram gratiori vietima

Placare Ditem. Sed nimis longum loquor.

790 Istud cadaver pabulum alitibus date!

At regiae vos dignitatis vindices,

Quibus cruento gladius etiamnum tepet,

Hac ite mecum ad ceteros recta via!

Chorus.

O morte tristi tristius leti genus!

795 Tamen, ut videtur, sceleris hic diri est gradus;

Nequid resedit aut minas posuit furor. —

Sed ecce cari patris occasum gemens

[44] Loisa trepido misera prosiluit pede.

Actus V. Scena III.

Loisa. Chorus.**Loisa.**

Lugeat aether, terra tremiscat,

800 Tumidis crescat Sequana lymphis,

Bolte, Coligny, Gustav Adolf, Wallenstein.

Quin ipse suas Nereus etiam
 Lacrimis nostris lacrimas addat.
 Et vos, quibus est pietas cordi,
 Quosque vicissim pietas curat,
 805 Ite in lacrimas, omnes flete !
 Nobis flendi seges est ampla.

Chorus.

Flemus casus, Loisa, tuos,
 Flemus nostros, flemus patriam,
 Quam subvertit tristis Erinnys.

Loisa.

810 Ah me miseram, quid loquar aut quid
 Taceam ! Sic heu, sic te, genitor,
 Sacrilega manus misit ad umbras ?
 Nec veneranda et cana senectus
 Nec pietas aut ille excelsus
 815 Animus movit pectora dura ?

Chorus.

Verum dicis : cecidit, cecidit ;
 Neque enim virtus tanta esse potest,
 Quae sceleratam moveat turbam.

Loisa.

O crudeles, exsecrandi,
 820 Quanto damno quibusve malis
 Affecistis meque meosque !
 [45] Heu heu, heu heu !
 Is, qui tutum mihi praesidium
 Fuerat, manes vadit ad imos,
 825 Unde reverti non datur ulli.

Chorus.

Utinam tristi occumbere leto
 Tantae cladis videam auctores !

Loisa.

Atqui veniet tempus, veniet,
 Cum, quae exoptas, turba maligna

830 Atque impurus sentiet hostis.
 Alio nos iam lacrimae rapiunt;
 Nam genitoris desiderio
 Teneor nimio, quem tamen eheu
 Dehinc non dabitur cernere vivum.

Chorus.

835 Quisnam splendor mihi perstringit
 Oculorum aciem? Quaeve haec mulier
 Innixa cruci et pectus nuda
 Explicat alas? Pietas certe est,
 Ipsa est pietas, quae super astra
 840 Hominem vectat leto eripiens.

Loisa.

Salve diva, o salve diva!
 Quo gressum fers? Siste, precamur,
 Et rape tecum
 Nos ad nitidi sidera caeli!
 845 Nam postquam abiit dulcis genitor,
 Lubet ingratam linquere terram.

[46] Actus V. Scena IV.

Pietas. Chorus.**Pietas.**

Desinite lacrimis maximi funus viri
 Urgere, qui nunc caelitum immixtus choro
 Aeterna potitur gaudia, aeternum bonum!
 850 Quem capere terra noluit, caelum capit.
 Haud flendus ille est, qui periclis omnibus
 Emancipatus non timet fraudem et dolos.
 Si flere vultis sique vos lacrimae iuvant,
 Me flete vosque, quos manent luctus novi!
 855 Neque enim quiescat ac dabit finem furor,
 Involvet omnem Galliam tantis malis,
 Quae lingua sileat. Video caedes, vulnera,
 Iuvenes virosque video cum senibus pari
 Iacere casu, matris eruptum e sinu

- 860 Perire gnatum, coniuges leto dari.
 Quis populus et quae regio, quis rigidus Scytha
 Tale ullo in aevo fecit aut vidi nefas ?
 Cohors scelestia, siste furiale impetum !
 Nam qui fuerunt huius auctores mali,
 865 Ipsi interibunt, utque iam cives vident
 Caesos iacere, sic graves nepotibus
 Leto nefando postumis poenas dabunt.
 Sed vos, amici, quotquot hic estis boni,
 Urbem cruentam fugite et infestas domos !
 870 Pars ite mecum hinc ad Rupellae moenia,
 [47] Pars petite (nec enim paenitebit vos fugae)
 Terram Batavam, caeruli sedem dei,
 Pars transmarinam tendite in Britanniam,
 Pars Teutonas videte, corda Martia
 875 Populumque, si quis alias est, cana fide !
 Vobis amicas, en, Palatinus comes
 Fortis bonusque porrigit princeps manus,
 Duxque ille Tecci ceterique principes
 Hoc exsecrantur facinus horribile, impium
 880 Sedemque trepidis commodam exsilibas parant.
 Nec tam benigna terra vos solos manet,
 Ipsi nepotes atque gens nepotium
 Depraedicandas Teutonum noscent opes.
 Namque erit aristas post quater denas quidem
 885 Totidemque brumas, ut Palatinus leo
 Per alta maria spumeum pieta secans
 Sulcum carina sibi Britanno in litore
 Felici amatam iungat auspicio leam.
 Beata saecla tunc erunt, saecla aurea,
 890 Et ipse Mavors vinetus ad tergum manus
 Sedebit, arma nemini incutient metum,
 At pax et artes efferent nitidum caput
 Et alma virtus nixibus surget novis,
 Gaudebo et ipsa iam triumphorum capax.
 895 Quid patriam respicitis et trahitis moras ?
 Ubiunque cuique bene fit, illi patria est.
 [48] Agite, ite, ne cessate ! Properato est opus.

Nam si videbit crastinus vos hic dies,
Peristis omnes. Ite iam fausto pede!

Chorus.

900 Triste est patriam linquere, triste;
Verum, ut pereas, velle manere
Stultum fuerit. Quarc sequimur,
Quascunque velis ducere in oras.

Finis huius tragœdiae.

[49] **Iacobus Augustus Thuanus, Historiarum lib. 53.**

Sedata utcunque per Galliam tam foeda tempestate et caedium ac direptionum libertate compressa, cum prudentiores minime Protestantium partibus addicti ad se ex tristi praesentis status cogitatione sensim rediissent, et factum exsecrantes, eius causas et excusationem curiosa vestigatione quaererent, sic iudicabant, nullum similis saevitiae exemplum in tota antiquitate, evolutis gentium annalibus reperiri.

I t e m: Plerique sic existimabant, facti huius ratione nomen Gallicum olim invidia atque adso infamia laboraturum, tantaeque indignitatis posteritatem non immemorem futuram. Tunc etiam, ne quid ad summam insaniam deesset, aemulatione veterum Imperatorum, laus in tam detestando facinore quaesita.

[50] **L i b. 54:** Fabius Ursinus Cardinalis a Pontifice post acceptum de Parisiensi tumultu nuntium Legatus in Galliam venit, aliquanto tempore prius Avenione commoratus. Is longe aliam rerum faciem, quam rebatur et quam Romae reliquerat, in Gallia offendit, inde animis pavore consternatis, inde facti atrocitate irritatis, turbato item ubique regno, mirarique subiit, quod Romæ publicis laudibus depraedicabatur, id apud nos aequem omnes tristi silentio detestari regemque ipsum, cui egregii adeo facinoris et diu ante profunda prudentia excogitati et concocti gloriam ingeniosc passim per Italiam affingebant, illud tanquam ex occasione et rei necessitate natum neque ante praemeditatum apud suos excusare.

[51] **Illustrissimi herois Casparis Colignii magni Galliarum thalassiarcae etc. sanctae et aeternae memoriae.**

Quae vita huic fuerit, quae mors, quod deinde sepulerum,
Si rogites, paucis haec tria, Lector, habe:
Non sibi, sed Christo et patriae Colignius heros
Vixit, et o cur non nunc quoque vivit adhuc?
5 Pro scelus! hoc prohibet patriae patria ipsa parentem
Saevis dilanians unguibus ipsa suis.

Optarunt sepelire nefas hoc flumina tantam,
 Optavit tantum flamma piare nefas.
 Non passa est, lacerum, mersum ambustumque cadaver
 10 Quae tandem appendit barbara turba cruci,
 Ignoti donec manibus sublatus amici
 Casparus hac tenui contegeretur humo.
 Quisquis es, o referas pietatis praemia tantae,
 Nec sinat hoc nomen fama latere diu.
 [52] At tibi, quem tumulum sic patria denegat, ecce
 Construxit mundi machina tota tibi.
 Sic Aqua, sic Ignis, sic Aer, sic quoque Tellus
 Namque parentarunt, Caspare magne, tibi.
 Illa autem (iusta est quae numinis ira) cadaver
 20 Ipsa sibi, ipsa sibi est patria iam tumulus.

Theodorus Beza olim p.

[53] **Ad Marquardum Freherum, v. n. eonsil. Palatinum elegia.**

Vulgus iners lepidas ridet pia numina, Musas,
 Et teneros vates esse putat fatuos,
 Meque monet, studium ne semper inutile tentem
 Seria neu nugis postposuisse velim.
 5 Quid faciam, Marquarde, mone! Divasne relinquam,
 Sectari a puero quas mihi cura fuit?
 Et cupio et satius fuerat non scribere versus
 Et nunquam Clario fonte levare sitim.
 Verum difficile est studium deponere suetum,
 10 Naturae ductum spernere difficile est.
 Saepe quidem dixi: Quid blandis servio Musis
 Aut quid ego vates esse labors pius,
 Si mihi nil prosunt laudatae ex ordine Musae
 Sique adeo vatem nil iuvat esse pium?
 15 Ah valeant doctae, quondam mea cura, sorores,
 Ah valeat frustra cognita turba mihi.
 Dixi ego. Sed venti mea dicta tulere procaces
 Et studium nobis, quod fuit ante, reddit.
 Dumque meo Genio nequicquam obsistere conor,
 20 Ne faciam versus, nemo inhibere potest.
 Sic quae iam posuit miles, mox arma resumit,
 Sic mare, quod fugit, nauta recurrit idem.
 [54] Ergo aut divini afficiunt me scripta Maronis,
 Mollibus aut elegis Naso poeta tenet,
 25 Aut mentem tragicis soleo oblectare cothurnis,
 Aut lepidos Comi volvo revolvo iocos.
 Aut nostras mulcet numerosus Horatius aures,
 Aut capior numeris, docte Catulle, tuis.

Nec te, cui nitido versu cantata Neaera est,
 30 Neglego nec blandi carmina Battiaidae.
 His addo nostri splendentia lumina saecli,
 Scaligerum natum Scaligerumque patrem
 Et cum Lipsiade Dousas teque, enthee Posthi,
 Teque, ingens Phoebi, Paule Melisse, decus.
 35 Queis iungit sese Zernutii acumen et ille,
 Qui dedit ingenii docta Pericla sui.
 Et tener Heinsiades Grotiusque et Baudia virtus,
 Dura Caballinus queis rigat ora latex,
 Taubmannusque meus, qui Phoebi concitus oestro
 40 Albidos ad ripas carmina dia canit,
 Et qui praeterea Musarum castra secuti
 Egregium scriptis promeruere decus.
 His studiis dulce est optatam ducere vitam,
 His animum suevi pascere deliciis.
 45 Utque dehinc multos liceat mihi pascere in annos,
 Clare Frehere, fave; tu, rude vulgus, abi!

FINIS.

Verbesserte Druckfehler.

V. 40 nudantes — 130 examinat — 207 aegrotem — 269 Obnoxios — 331
 stimulet — 651 soror — 658 aedeis — 674 Aget.

Zu der Aktzählung habe ich auch die Szenenzählung hinzugefügt.

Änderungen der Ausgaben B (1615) und C (1625).

252 f. Periculisque, dum hostium incensus furor | Et insolentis purpurae
 ferocia C — 742—744 Adeste, queso, tanta quos tangunt mala, | Adeste,
 damnum pariter inimicis date. | Auditis? an vos dicta nil movent mea?
 BC — 747—749 Quid verba perdis? profuge et obiectus late BC — Ein-
 geschoben hinter 753 Modo ne inultus moriar et poenas luant | Haud usi-
 tatas, quotquot audacem manum | Adimbuērant sanguine ingentis viri
 BC — 745 f. Nunc cadaver in viam | Provoke, quisquis partibus nostris
 faves BC — 773 Age, huc age illum, populus extinctum ut sciat BC —
 776 Si. Nihil morabor. En tibi pondus grave BC — 884 f. Nam tempus
 aderit, cum Palatinus leo B — 884—888 fehlen C, da Pfalzgraf Friedrich V.
 1623 vertrieben worden war.

